



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

V. A Deo destituta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



v.

*A Deo  
deficiunt.*

Adde, quod Deus sæpe istorum apud semetipsos sapientium consilia disturbat, & infatuat, sicut Achitopheli contigit, & sapientibus consiliariis Pharaonis. Judæis etiam, Isaia teste cap. 30. *Va filii disertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* Exodi cap. 1. politicum consilium Pharaonis, de perdenda natione Hebraicâ, Deus in ipsummet vertit, eumque facit altorem Môsis, à quo perdentur, qui Hebræos perdere voluerunt. Libro 3. Regum cap. 12. & 14. *Excogitato consilio facit Jeroboam vitulos aureos, ne sui ad Regem Juda, verum Dominum, redeant: idcirco à multis ad Roboami partes transfuentibus deseritur: & ista denique ipsa excogitatio Israëlitis est causa exitii.* Osee Propheta causam assignat cap. 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi: id est, sic se ipsi gesserunt, quasi non nossem. Argentum & aurum fecerunt sibi idola, ut interirent. Quoniam in araneorum telas erit vitulus Samaria:*

maria:



maria: quia ventum seminabunt, & turbiditatem metent. Reges Juda, delinendo populo, Baalis & aliorum deorum inanium simulacra adorant: ob id consilium, Deus scrutatur Jerusalem in lucernis, & visitat super viros defixos in facibus suis, qui dicunt, non faciet Dominus benè, & non faciet malè. Sophon. cap. i. Laudata Caiphæ prudentia à Judæis, Joannis cap. ii. quando dixit, Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat. Mortuus est homo unus: tota nihilominus gens periit, captusque est astutus in astutia sua. Cæsares Romani, cædibus in Ecclesiam nascentem grassati, ipso opprimendi consilio eam multiplicavère: Dominus dissipavit consilia Principum, & reprobavit cogitationes populorum.

VI. Sæpissimè, cum nobis relinquimur, idem nobis usuvenit, quod

Male eligit. Sigismundi Imperatoris aulico apud Peucerum, & ex illo apud Drexelium in Heliotropio. Res ferè sic habet. Querabatur aulicus obsequiorum mercedem sibi non donari, obscure quidem & subtimidè: